



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,  
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

**Busaeus, Johannes**

**Mogvntiæ, M. DCVI.**

21. De crucis baiulatione. Ioan. 19.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

res irruerint in Iesum, & omni genere iniuriarum obruerint. Iam crux & feralia instrumenta, id est clavi, & alia parata erant. Iam totis artibus exultabant omnes Pontifices, Scribæ, Seniores, populus. Sola mœstissima Domini parens cum discipulis tota in lacrymas soluta est.

## MEDITATIO XXI.

*De crucis baculatione.*

ET apprehendentes Iesum, eduxerunt eum ut crucifigerent: & baculans sibi crucem, exiit in Caluarie locū. Considera Iudæorum crudelitatem inauditam, quod Christum fatigato, membrisq; omnibus fracto ingentem illam trabem crucis imponunt, perinde ac si vellent eum in ipsa via occumbere. Ac ubi quæso legitus vel pessimus latronem suum gestasse patibulum? Omnibus supplicio afficiendis instrumenta abscondi solent, quibus occiduntur. at Christo etiam gestaanda eum summo dedecore imponuntur. 2. Considera & quasi præfens aspice, quomodo tanto pondere onustus procedat, oculis languidis, facie tota sputis adhuc & sanguine plena, trepidantibus & vacillantibus genibus ac tan-

S s dem

dem toto corpore septies in terrā cutruente; quibus casibus nouo vulnere humeros vulnerauit, & alia ex flagellatione accepta renouauit.

*In via Simonem Cyrenaeum angariauerunt, ut tolleret crucem eius.* Considera, non facile esse, si Christus crucem suam baiulet, eamque nos sola fide & meditatione aspiciamus: sed opus est, ut nostrā quoque crucem inferendis iniuriis, mortificandis passionibus, carneque castiganda ieiuniis, disciplinis, aliisque poenitentis feramus iuxta illud Christi. *Si quis uult uenire post me: abneget se metipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me* 2. Considera Simonem hunc non sponte sua, sed coactum huic cruci humeros submisisse, ut discas in ferenda crucem requiri, ut vis inferatur naturae, & carne semper spiritui reluctanti. 3. Considera utilitatem, quam Simon iste licet iniuriis portans crucem, tanquam laboris mercedem reportarit. nam eius nomen toto orbe divulgatum est, patria eius innotuit, & filii eius non modo Christiani facti sunt, sed etiam fama celebres.

*Iesus ad mulieres sientes conuersus* Ne siccate, inquit, super me, sed super uos, & filios uostros. *Si in uiridi ligno haec faciunt, in arido*

quid fiet? Considera, Dominum non voluisse se defferi, sed populum, vt ostenderet potius nobis esse flendum de peccatis, que mortis illius fuere causa. deinde, quia multis mors Christi maiorem damnationem erat allatura, vt improbis. Secundo. Considera, si viride lignum, id est, is qui in mundum venit sine peccato, non egressus est sine flagello, quomodo nos qui in peccatis nati sumus, & in illis vivimus, sine flagello & cruce poterimus ad vitam æternam pervenire? tertio Considera, quam triste & acerbum fuerit Virgini matri spectare unicum suum vitæ solamen, tam miserè derelictum, curuumq; inter duos latrones incedentem, & inter clamores populi tam immaniter tractari. Videre ibi erat duos soles, cum se mutuo aspicerent, deficientes.

MEDITATIO XXI.

De Christi Crucifixione. Marc. 15.

Luc. 23. Ioan. 19.

ET venerunt in locum qui dicitur Colgotha, I.  
 q. est. Caluaria locus & ibi crucifixerunt eum.  
 Considera quam molestus fuerit Christo  
 istius